Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1261

Quelle:
Copyright:

dei. Et primo queritur vtrum in deo ſit potentia. Et uidetur quod non. Potentia enim eſt operationis principium &c. Finis vero: *Vnde in hoc non eſt ſtandum ſententie damaſceni.* Atque ex hoc adparet deeſſe in Codice integrum *Articulum* V. et *ult. Quaeſtionis* X. *Utrum Spiritus ſanctus a Filio remaneret diſtinctus, ſi ab eo non procederet.* Adi edit. *Pariſ. cit.* p. 186. Librarii ἐπιφωνημα: *Explicit de Potentia Dei. Vos Domini cella Dea*(Mea?) *claudite ſcripta Maria.*

III. *fol.* 192. *Aſſit principio pulchra puella meo.* Iſtud quidem benigne de B. V. *Maria* interpretabor. Sequitur: *Contra primam partem ſumme.* Conſulo imperfectum Elenchum, qui Codici *fol.* 1. praefixus eſt, et lego: *Correctorium uel Corruptorium. Correctorium vel potius Corruptorium* ſcribere debebat Librarius, ſi quidem ab omnibus illico capi voluit. Res ita ſe habet. Seculo XIV. *Durandus* dictus *a S. Portiano* Ord. Praed. factus poſtea *Meldenſis* Epiſcopus non in totum probabat doctrinam ſodalis ſui *Thomae Aquinat.* Fatentur id ipſi Bibliothecarii Ord. T. I. p. 586. De nullo tamen ejus contra *Thomam* Scripto mentionem faciunt. Nec magis *Caveus*, *Oudinus*, *Fabricius*, alii, quos conſului. Interim dicti Bibliothecarii agentes p. 587. de alio Socio ſuo *Durando, de Aureliaco* praecedentis Nepote, et inde dicto *Durandello*, ajunt hunc contra illum tanquam *Thomae Corruptorem* ſtrinxiſſe calamum, adferuntque Scripti Titulum: *Correctorium Corruptorii.* Confirmat id *Antoninus Florent.* ejusd. Ord. in *Summa Hiſt.* T. III. Tit. 23. c. 11. §. 2. Oportet igitur *Durandum* iis, quae in *Thoma* carpſit, impoſuiſſe Titulum *Correctorii*, quem impugnator ejus *Durandellus* mutavit in *Corruptorium*, et ita *Corruptorii Correctorium* ſcripſit, cujus *duos* Codices citant ſupra memorati Bibliothecarii. At vero, ut jam innui, nihil de ſic dicto *Durandi Corruptorio*, conſilione, an, quod nullum noſſent Exemplar, incertum. Quare en illud in noſtro Codice. Initium eſt: *Queſtione XII. Articulo 5. querens* (Thomas) *utrum diuina eſſentia videatur ab intellectu creato per aliquam ſimilitudinem mediam* &c. — *Iſta porro videntur nobis falſa* &c. Confer hoc cum initio *Durandelli*, quod adferunt Bibliothecarii: *Sciendum eſt igitur prima parte ſummæ Quaeſt. XII. quærit Thomas, utrum eſſentia divina videatur ab intellectu creato per aliquam ſimilitudinem* &c. Vides, hoc dirigi contra Exemplaris noſtri initium. Exemplar ergo noſtrum eſt *Durandi Correctorium*, quod *Durandello* adverſario *Corruptorium* adpellare placuit, et ejus *Correctorium* ſcribere. Porrigitur vero *Correctorium* iſtud, vel, ſi mavis, *Corruptorium* per *primam Partem Summae*, per *primam ſecundae*, ad cujus calcem minuto charactere additur: *in ſecunda parte ſumme nec regardatur*, per *tertiam*, per *Queſtiones de anima, de Virtutibus*, et *de Quodlibet*, quibus omnibus perſtrictis